ARTERIARUM ANEURYSMATIS ORIGO DISSERTATIO INAUGURALIS...

Gaetano Lomi

ARTERIARUM ANEURYSMATIS ORIGO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS PRAECLARISSIMIS ORDINIS MEDICI
PRAESIDE, DECANO ET PROFESSORIBUS

AD MEDICINAE LAUREAM

IN I. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

RITE ASSEQUENDAM

CUM ADNEXIS THESIBUS

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

CAJETANUS LOMI

EX BORGHETTO LAUDIS POPEJAE.

*

TICINI REGII.

EX TYP. FUSI ET SOC. SUCCESS. GALEATII.

1819.

Aneurysma arteriarum semper efficitur per effusionem sanguinis in textum cellulosum vas circumeuntem, hujus tunicis ruptis, aut exesis.

Binas, ac inter se differentes Medici adscriverunt etymologias de verbo aneurysma: nonnulli enim credunt componi ex duabus vocibus graecis, quibus vox latina *enervatio* respondeat: alii vero a duabus diversis vocibus graecis illud derivare malunt, quae *nimiam dilatationem* significant.

Utra pluris habenda sit etymologia, quae morbi naturae magis accedat, arduum jugiter erit sententiam ferre; quum nunc quoque Medici, et Chirurgi de hujusce morbi natura, et caussa proxima dissideant.

Quamvis aneurysma apud medicos Graecos dilatationem significaret; nunquam in casu Aneurysmatis illo verbo

sunt usi ad extensionem tunicarum arteriae indicandam; at potius tumorem quem sanguis arteriosus, coagulatus in textum cellulosum effusus progignit. Severinus, de novis observ. absces. cap. VII., in animum sibi induxit, aneurysmata externa ab arteriarum rima, aut vulnere nasci; et ideo fieri a sanguine in textu celluloso effuso. Silvaticus scripsit „ effluere autem ex arteriis san-„ guinem, vel per anastomosin, hoc „ est apertis vasis osculis; vel per dia-„ pedesim, idest refractis ejus tunicis; „ vel per diaeresim, idest ruptis, vel „ exesis illis.

Haec apud medicos aneurysmatis idea generalis invaluit, quoadusque theoriam de extensione tunicarum arteriae tamquam illius morbi praesertim interioris causam proximam, primus vulgavit Fernelius. Exinde Chirurgi per idem verbum *aneurysma* indicare contenderunt morbos duos (hoc est aneurysma *verum*, et aneurysma *falsum*) quoad effectibus affines, sed quoad eorum causas, et naturam attinet, prorsus inter se differentes. Credebant enim in casu aneurysmatis veri, aut legittimi, cunctam arteriam, aut modo ejus latus, dilatari, et tumorem efficere cum palpitatio-

ne instar tumoris *varix* dicti, quo renae crebro laborant: et contra in aneurysmate *falso*, aut *spurio* ponebant ruptam, aut scissam arteriam a vi externa, a venae sectione, vel alio vulnere, aut rosione a quacumque causa orta; quamobrem sanguis inter cutim, et partes illas effunditur; membrum sensim tumet, et nigrescit.

Firmis Anatomicis notionibus, atque matura phoenomenorum aneurysma praecedentium, et concomitantium consideratione inductus celeberrimus Senertus a Fernellio disentiit, et credidit, proximam aneurysmatis causam non in dilatatione, verum in membranarum arteriae internarum ruptura consistere, externa, sive cellulosa, integra prorsus manente; „ *atque ita*, ait ipse, *proxi-*
„ *ma causa aneurysmatis est arteriae*
„ *tunicae internae aperitio*, *exterioris*
„ *vero dilatatio* (opera omnia I. V. lib. V. sect. I. cap. 43.)

Ante Senertum dixerat jam Hildanus; „ in aneurysmate interiorem tuni-
„ cam rumpi, exteriorem vero dilatari
„ verosimili est. V. centur. III. ob-
„ serv. 44.

Freind pariter diligentissimus Historiae Medicae scriptor, postquam diu

varias Auctorum hac super re opiniones examinasset, concludere maluit aneurysmatis divisionem in *verum*, ac *falsum* plurimum a veritate recedere et qualecumque aneurysma ab arteriae ruptura originem ducere.

Auctores quoque non desunt, qui aliam aneurysmatis rationem esse, ostendere vellent. Dari casum enim contendunt, in quo tunica arteriarum interior herniam efficere potest per rimam membranae fibratae, et intimam aneurysmatis faciem investire. At difficile est sibi persuadere tunicam interiorem, quae suapte natura parum extendi potest, satis cedere sine ruptione ad penitam tumoris quandoque ingentis faciem vestiendam.

Doctrina de morbosa extensione, et prolatione tunicarum arteriae tamquam aneurysmatis causa proxima originem duxit ab eo; I. quod diligentia minime adhibita fuerit in cadaveribus dissecandis, ut discrimen inter cavi aneurysmatis tantum membranosum, et proprias arteriae tunicas observaretur: II. simul ad errorem contulit falsa analogia, communiter tamquam vera a medicis recepta inter varicem, et aneurysma: III. quum viderent medici, et chi-

rurgi tum arteriam, tum saccum aneurysmatis tectum communi levi membrana, animo conceperunt, tunicas vasis haud ruptas, sed tantum extensas esse.

Quisque tamen in gratiam communis doctrinae de hujusce morbi rationae, et causa proxima non praeocupatus sedulo penitiorem structuram, et textum tunicarum arteriae, idest membranae fibrate, et cuticularis, sive interioris, considerat, ac deinceps texturam illius examinat, quae saccum aneurysmaticum constituit; liquide videt, nihil proprii arteriam praestare ad conformationem tumoris aneurysmatis; et hoc cavum haud esse nisi textum cellulosum, quod tempore sanitatis arteriam investiebat; sive illud molle cellulosum tegumen, quod arteriae accipiunt in commune cum proximis partibus; et quod molle tegumen, a nonnullis quoque pro tertia, sive exteriori tunica arteriae habitum, a sanguine ex arteria rupta, aut exesa profuso elatum, et compressum, induit formam tumoris circumscripti, extrinsecus obtecti levi membrana in commune cum arteria; et qualis est pleura in pectore, peritonaeum in abdomine.

Re ipsa praeclarissimus vir Anto-

nius Scarpa hujusce Gymnasii, ac totius Ausoniae decus immortale abhinc aliquot annis in aureo suo de aneurysmate tractatu fallaciam demonstravit doctrinae in scholis chirurgiae traditae de ratione, qua aneurysma efficitur; et ideo errorem divisionis ab auctoribus qui de his agunt, adscissae aneurysmatis in *verum*, *falsum*, et *mixtum*; in falsum primitivum, et falsum consequens. Post multas observationes in cadaveribus illorum, qui aneurysmate interno, aut externo perierunt, institutas, certissimum habuit, non dari, nisi modum, aut formam unicam hujusce morbi; illam nempe per solutionem continuitatis, aut ruptionem tunicarum fibratae, et interioris arteriae cum effusione sanguinis in textum cellulosum vas circumeuntem; quae unio soluta originem ducit a vulnere, aut ab ulcere rodenti; quandoque a rima tunicarum fibratae, et cuticularis arteriae; ad hoc simul minime conferente extensione praeter naturam earundem tunicarum; et ideo aneurysma omne vel internum, vel externum, circumscriptum, aut diffusum semper fieri per effusionem sanguinis monuit.

Quocirca non inficior, quemdam

interdum multitudinis, ac prolationis arteriae gradum pro parte conferre ad aneurysma efficiendum; nam saepe saepius conditio illa pathologica hunc morbum, praesertim internum, comitatur: at solum denego ipsam extensionem, et polationem eo pervenire, ut morbum hunc constituat. Si hae binae arteriarum conditiones morbosae recte examinentur, maximum discrimen apparet, quod est inter arteriam dilatatam, et aneurysma. Hujus radix jugiter occupat, et tantum afficit alterutrum vasis latus: a quo latere instar appendicis, aut tuberis se tollit; postea extendit, et saccum aneurysmaticum plus minus latum et diffusum pro circumstantiis loci, et morbi tempore constituit: dum contra, ubi agitur de prolatione arteriae, haec semper totum vasis ambitum laedit. Intus arteria modo extensa nunquam progignuntur concretiones polyposae, quae penitam aneurysmatis faciem investiunt textui celluloso valde inhaerentes. Praeterea si aneurysma a tunicarum dilatatione originem agnosceret, arteriae tubus supra, et infra imbuti formam praebere deberet, quod nunquam observatur, dum e contra regularem formam arteria penitus servat;

atque ut magis magisque tuti reddamur, saccum aneurysmaticum a textu celluloso tantum esse productum, duasque arteriae proprias membranas ruptas nullam passas esse dilatationem, sequens experimentum instituere sufficiet. Longitudinali incisione aperiatur arteria in parte aneurysmatico tumori opposita, atque intus in pariete adversa statim conspicietur membranarum arteriae propriarum affectio, nec non foramen per quod sanguis in celluloso arteriae tegumine, in saccum aneurysmaticum postea mutato, sibi viam patefecit. Quod si deinceps accurate, ac patienter agendo; absque laceratione cellulosum arteriae tegumen supra, et infra laesionis locum separetur, atque postea e tunica musculari, quae aneurysmatis radici subest disjungatur, sat clare conspicitur, tunice, muscularis fibras in saccum aneurysmaticum nequaquam perduci, sed in arteriae aperitionis margine finem obire.

Corvisart, et si maximam aspiceret esse analogiam inter aneurysmata *falsa* arteriarum artuum, et illa aortam obsidentia; attamen animo concepit theoriam, qua utimur ad essentiam, et causam illorum explicandam, minime

aptam videri ad rationem postea subjiciendam de horum origine, et conformatione. Etenim ille ait, modus, quo tumores hujusce generis fiunt, non satis liquidam explorationem obtinent, si morbum nasci dicitur a vera effusione sanguinis in cavum, quod hic liquor sibi parat in proximo textu celluloso, cujus paginae simul junctae ob sanguinis pressionem, illius parietes consituunt. Sic res se habebit, quoad de aneurysmate agitur membris inhaerente; ubi textus cellulosus vas circumiens pressionem patitur, et in membranam satis validam mutatur, cui etiam robur addunt partes vicinae. Arteriae contra per cavitates corporis transeuntes quum toto itinere fere insulatae considerari queant, partes adjacentes illis tam strictim non adstant, ut fulcro sint tunicae cellulosae, quam ideo permittitur extendi, quoad fieri potest. In casu igitur ruptionis aortae, quando mors haud illico vitam adimit, tumorem aneurysmaticum progigni necesse foret, latitudinem magnam statim aquirentem. Cum autem hoc plerumque minus offerant; quomodo rationem subjiciemus de origine, et causa aneurysmatis aortae? Hanc quaestionem auctor egregius pro-

ponit; et deinceps sententiam fert ad rei explanationem. Pluvies per anatomen quasdam extuberationes invenit magnitudinis nucis, supra aortam, vel arterias illiacas, quarum tunica exterior satis valida, et fibrata vasis parietibus fortiter adhaerebat. Haec membrana sive cystis, substantiam mediae densitatis, et colorem rubro-fuscum praebentem continebat. Parietes aortae, ubi tumor innitebatur solito debiliores, et macula livida inquinatae offerebantur. Testatur auctor, aneurysmata illa vasa obsidentia, et per anatomen delecta, magnam analogiam exhibuisse cum tumoribus, de quibus nuper mentionem fecimus: discrimen tantum in hoc positum erat, quod in aneurysmate aorta loco tumoris aperiebatur, et per foramen sanguis cystim ingressus sensim distendebat.

Ex quibus omnibus satis constat, Corvisart opinari, aneurysmata aortae, cum a praedictis tumoribus originem ducant, alia ratione se exerere quam hactenus Medici credebant. Is considerat tuber supra arteriam natum tamquam meram oppositionem, ad cujus texturam nihil proprii vas contribuit. Quamobrem aneurysmata falsa, potius

quam ab intus extrorsum se prodere ob rimam tunicarum fibratae, et cuticularis, ac consequentem prolationem membranae cellulosae, contra e foris introrsum viam sibi sternere deberent perrosionem ipsarum vasis parietum. Tunc saccum aneurysmatis haud cognoscunt una, aut omnes arteriae tunicae, praeter modum dilatatae; at potius quaedam cystis membranosa, fibrata, satis valida, arteriae fortiter inhaerens; sed arteriae tunicis prorsus aliena.

Quo circa, praetium operis judico hic sententiam ferre, an egregius auctor veram, et novam aneurysmatis interni, aortae praesertim, originem, et causam proximam detexerit. Ni fallor, Corvisart ratiociniis a priori contentus, nimis cito in animum sibi persuasit, membranam cystim constituentem nihil communis habere cum tunica cellulosa, quae vas extrinsecus investit; at novam esse generationem cum tunicis arteriae minime confundendam; nam illis tantum innititur, et valde adhaeret. Si vero cougruit, tumores quandoque cysticos, aut steatomata aortam, et alias arterias obsidere, quorum materiae saniosae, tabifice, intus contentae vicinas parietes laedere, rodere, et perforare

possunt, aneurysmati sic viam aperiendo; aeque rationi, et legibus oeconomiae animalis consentaneum videtur, tumoris cystim nil aliud, quam membranam cellulosam vas circumeuntem considerandam esse. Certum habeo, extuberationes illas per absolutam oppositionem haud fieri, at potius instar tumorum, qui sub cute ad externum corporis habitum se exerunt, inter membranam cellulosam, et tunicam fibratam originem ducere, ac sensim augere. Dum quaedam lenta inflammatio tumoris stadia absolvit, humores huc redundant, stagnant, denique putrescunt, et tunicas fibratam ac cuticularem laedunt: contra, textum cellulosum in tumorem elatum, inflammationis particeps, majorem densitatem, et tantum robur aquirit, ut suapte natura degener etiam videatur.

Quae cum ita sint, liquide patet, post quam ulcus viam aperuit a cavo tumoris in arteriam, sanguinem cystim ingredi, et distendere non aliter, ac in textum cellulosum vas; circumeuntem agit, et in tumorem attollit, si ob diversam causam tunice fibrata, et penita rumpuntur.

Observationes igitur quas Corvisart in argumentum ducit ad theoriam caussae proximae aneurysmatis interioris, aortae praesertim, illustrandam, et si lucem praeclariorem effundunt, ut melius occasiones dignoscantur, quae arteriae tunicarum ruptionem, ulcus, aut rimam efficiunt; nihil novi profecto addunt cognitioni, quae hactenus de hujusce morbi natura, et genesi habetur. Tumor aneurysmaticus semper ab effusione sanguinis in textum cellulosum vasi obductum post ruptas, exesas, aut quocumque modo perforatas tunicas, parietes arteriarum constituentes, originem ducit: sive ab hoc occasionem praebeant vires eforis corpori admotae, sicuti vulnus, coutusio etc.; sive immodici corporis conatus in illis ad hunc morbum proclivioribus ob arteriarum parietes a statu naturali alienatas; sive multiplices causae internae ratione varia tunicas arteriarum laedentes, sicuti tumores cystici, steatomata, erythemata, ac vitia alia vasorum membranas obsidentia.

Hanc tantum de aneurysmate arteriarum rationem habendam sentio; etenim doctrina de prolatione, et ex-

tensione vasis tunicarum eo perventa, ut morbi causam proximam constituant, neque observationibus, neque rationi equidem congruit.

THESES.

I.

Ex sola hydrargiri utilitate syphilis probari nequit.

II.

In conceptionis phaenomenis parum imaginationi tribuendum.

III.

Foeminae minus quam mares foecundae.

IV.

Post cinchonae usum in intermittentibus, eccoprotica inutilia, ac noxia.

V.

Pus est lympha per processum chaemico-vitalem qualitative alterata.

VI.

Gummi-chino in vomitu gravidarum maxime praestat.